

Sic quoq; Academiæ Parisiensis, Pragensis, & ipsa Patavina, non nisi Carolos nimirum Magnum & IV. fundatores & Confirmatores habent & agnoscunt. Ultimo jus Majestatis Ecclesiasticum, ponimus in locorum & bonorum Ecclesiæ rectione & provisione. Cum enim religio & Ecclesia publicum sit bonum, justius nemo publica loca & redditus Ecclesiæ publicos ordinare poterit, quam potestas Summa, & hoc auctoritate piorum Regum Veteris Testamenti, Josuæ, Davidis, Salomonis & Josiæ. Videtis Althus. cap. 28. de ministerio Ecclesiastico. Tantum de Ecclesiasticis Juribus sunt dicta: Sequuntur Politica & Secularia.

THESES. XI.

Est utiq; jusulare seu Politicum, potestas disponendi & ordinandi media, quæ ad utilitatem corporis politici temporalem primario sunt accommodata. Hæc. disp. pol. 3. Th. 41. Ut igitur Summum & præcipuum, ita & primum Majestatis politicum jus est, Leges universis & singulis condere, dare & abrogare in Imperio: ita tamen ut sapientum virorum, subditorumq; non prætereatur consensus: undè non dimiauitur Majestas, sed ejus gloria magis splendet. Ita imperio Romano ad unum solum principem translato, etiamsi generalis legum condendi potestas concessa est, quæ tamen hodie limitata est. Strat. Pol. cap. 7. Non solus Imperator, sed cum consensu Electorum & statuum imperii Rom. legem condit universalem. Ita leges apud nos, absq; Senatorum & populi consensu non introducuntur & constituuntur, quantumvis Regio nomine promulgentur. Iure Svec. prov. titulo de Rege. c. 4. art. 7. absit tamen exinde statuere imperium mixtum. Atque ut leges condendi, utpote, tum Universales tum Fundamentales

tales, statum imperii concernentes, tum merè civiles potestatem habet Summa potestas, ita etiam eas interpretandi, omniumq; Iudiciorum ordinationem & ultimam provocationem. Cit. cap. 4. R. B. L. in fine. Quam legis interpretationem triplicem facimus, usualem sive Casualem, doctrinalem sive Doctorum Juris dogmaticam & authenticam: usualis ex usu, observantiâ & consuetudine desumitur: Doctrinalis, ex ipso Iure, per Ictos eruitur. Authentica hoc loco intelligitur, & ad hanc recurritur ultimo, quamq; interpretatur Majestas. Huc etiam spectat abrogatio legis à Rege & principe latæ, non naturalis & divinæ, quam qui tollit, injurios est in ipsum Deum Terop. Max. & Naturam, sive Papa, sive Imperator sive alius fuerit Princeps. Videat itaque, quo Iure Pontifex Rom. contra expressum Dei mandatum, quos Deus conjunxit, homo non separet, separandi licentiam sibi sumat, & in gradibus prohibitis dispenset. Et præterea quemadmodum generales leges fert Majestas, sic ejusdem est Jus singulare, privilegia dare, quæ pariter ut publicæ leges in potestate sunt Imperantis, qui ea, ratione eorum cessante, mutare vel adimere potest. Statuimus proinde Solius Majestatis esse privilegia & certarum rerum confirmationem atq; dispensationem, ob certam aliquam rationem à lege communi concedere. Huc pertinet Jus Homagio & hominio obstringendi cunctos Imperio subiectos, ad leges & fidelitatem incorruptè observandam & præstandam, & quidem nullo excepto. Iure prov. rit. de Rege cap. 5. Summum proinde hoc Jus & privilegium à Divina Majestate primas quæ leges condidit Exod. 20. in Majestatem Imperiorum terrestrium est translatum.

THESIS XII.

Secundum *Majestatis* politicum jus est, *Officiales & Magistratus* constituere, & *jurisdictionem* tribuere vel adimere. Cap. 8. *R. B. Q.* Nam qui Imperio & *jurisdictione* utuntur *precariâ magistratus*, nequeunt ea aliundè accepisse, quam à *Majestate*, quippe *cujus propria sunt*. Arnif. de summo imperio & ejus *juribus*. Et hæc *potestas* ita coheret *summæ Majestati*, ut facta *legum sanctione*, ei nihil magis *profit*. Constituuntur enim *Magistratus* propter *executionem legum*: Lex enim sine *executione* est instar *campanæ vel nolæ sine pistillo*. Aliud tamen est *leges condere*, aliud *juxta eas decernere*: illud *Majestatis est*: Hoc *magistratus Majestati subalternati*. Eius itaq; omninò est *Magistratum ordinare*, *cujus est legem jubere*. videtis *Besol. pol. c. 4.* & *Doct. Lansium de leg. Reg. Hisceq;* *justitiæ Administratoribus mediatis*, *Majestatis auctoritas & potestas non minuitur*, sed in suo *vigore conservatur*. Nam quemadmodum non est *infirmior manus* quod sit in *digitos dissecta*, sed est *ad agendum agilior*: ita nec *minuitur Summa potestas* à pluribus *explicata*, & *negotia multis in rep. communicata*, *faciliter expediuntur*: quippe *Magistratum creatio & constitutio*, nihil aliud est quam *jurisdictionis concessio*, non *absolutæ sed limitatæ*: salvo *jure Majestatis*, vel ad *Remp regendam*, vel *jus privatis dicendum*. Licet *Majestas concedat privilegia & honores*, tamen non nisi *eumulativè ex fonte Majestatis*, & non *privativè seu abdicativè*, vel certè *salva superioritate*. Etenim, nunquam *cessenda est Majestas adeò plenam*, concessisse *jurisdictionem*, ut non *Majorem apud se retinuerit*, itaque *subordinatæ potestates & magistratus non utuntur Summâ potestate*, quæ *communicari non magis potest*

potest, quam *unitas*, sed *auctoritate habentis eam*, cum *effectu utuntur*: sic ab *unitate sumuntur numeri alii*, duos, tres, quatuor & *sequentes*, ut tamen *unitas ideo non sit numerus sed principium numeri*: ut *punctus non linea*, sed *principium lineæ*, quæ ex *punctis consequentibus oritur*. Conferetis *Pet. & Greg. lib. 1 c. 1 de rep. n. 9.* Et quemadmodum *virtus animæ per totum corpus & membra diffusa*, sua per *instrumenta exequitur mandata*, sic *Summa potestas*, per *ministeria magistratum sibi subalternorum*, suam *exercet auctoritatem*. Huic *juri affinia sunt* (α) *Creatio Ducum, comitum, Palatinorum, & Baronum ac Nobilium*: siquidem non *dubium est Majestatem omnis dignitatis & nobilitatis fontem esse* (β) *Electio Senatorum, Consiliariorum, Supremorum Officialium regni, Episcoporum, Assessorum, Professorum, Consulium, Iudicum, & eorundem vocatio & confirmatio*, observatis tamen ad *id mediis ordinatis* (γ) *Amandatio Legatorum, sive jus mittendi legatos*. (δ) *Institutio & confirmatio Postarum & Curarum publicorum*.

THESIS XIII.

Tertium locum inter *jura Majestatis tenet extrema provocatio*, quæ *summum sibi tribunal vindicat Majestas*, à qua ad *alium quempiam provocare*, nemini *fas esse volumus*. Consistit enim *extrema provocatio in hoc*, ut *subditi à legibus à Majestate latis*, *provocare non possint*: ad *ipsam vero Majestatem provocare omnes possunt*. Est quippe *provocatio jurisdictionis inferioris judicis*, per *legitimam superioris invocationem in eodem judicio factam*, *suspensio semper cum ordine magistratum ascendit*, donec ad *Summam terminetur potestatem*, in qua & *ipsam desinere necessum est*. *Bodin. lib. 1, c. 10 pol.* Hæc tam

tamen apud nos in Regiis sistitur Dicasteriis: Vid. Ord. Iud. Revisione Regiæ Majestati reservata, & depositis in Iudicium intra octiduum 200. thaleris. Process. Iud. Ceterum ad extremæ provocationis Jus, pertinet quoq; (α) potestas veniam delictorum concedendi, relegatos restituendi, capitis damnatos absolvendi & imprimis reis læsæ Majestatis criminis, condonandi. (β) Jus vitæ & necis Ord. Iud. Sive Jus remittendi poenas capitales, quatenus non repugnant sanctionibus Divinis & naturæ, quibus Majestas derogare nequit. Quo nomine mansuetissimus Moses uno die millia tria occidi iussit. Exod. 32.28. (γ) Jus cognoscendi de crimine læsæ Majestatis. Process. Iud. Quod tamen Jus devolutum & communicatum est Regiis Dicasteriis, ut etiam ex Process. Iud. adparet. (δ) Jus securitatem & salvoguardiam seu salvum conductum præstandi C. 31. R. B. G. solamquæ decet Majestatem, infligere sævi juris acrimoniam.

THE S. XIV.

Quartum deniq; *Majestatis* Jus facimus, potestatem belli inferendi & componendi. Heic enim universæ Reipublicæ salus vertitur. quò itaq; res ista periculosioris alex est, eò majori cum consilio & deliberatione suscipienda. Unde Plato cap. 12. de legibus: Si quis consilio suo absq; auctoritate communi pacem aut bellum movet, ultimo condemnabitur supplicio. Majestatis igitur læsæ Crimen committit, quisquis sine summi magistratus mādato, bellū in imperio movet. Equidem usus armorū subditis est interdictus, & Jure nostro, privatis neq; arma gestare licet. Tit de Curiis cap. 34. Nec auctoritate propria semet contra hostes defendere, nisi periculum sit in mora: Si vero præsens sit periculum, ut tempus non ferat eum consuli, qui supremum

num in Civitate habet Jus, heic necessitas exceptionem porrigit. Nullibi invenimus tamen, nec in historiis antiquis hoc, Jus indicendi Belli, & ineundæ Pacis, à Majestate divulsurum. Sic quamdiu potestas apud Pop. Rom. fuit, tandem quoq; potestatem belli indicendi ac finiendi penes eum mansisse. Idem etiam in aliis Rebusp. utpote Atheniensū, Lacedæmoniorum & Tarentinorum, semper usu receptum fuisse. Non igitur est vera pax, quam Limitanei in Smolandia & Scania, bello flagrante, inierunt de non offendendo: Vulgò *bondafred* vocare solent, antequam sub unius Regis tutela acquieverunt. Hinc Majestatis nostræ indulgentiæ & benignitas, subditos ab interitu, quocunquè modo, etiam in his connivendo ac tolerando, viadicari & conservari non detrectantis, cernitur. Interim bellum hac ratione pace non terminatur, sed belli saltem incommoda, ut diximus, quodammodo avertuntur. Huc referendum est (α) Jus Armandiæ sive Armanniæ, id est Jus Officinas constituendi & Armamentaria, ubi arma cuduntur: quales officinæ *lunecopia*, *Arbogia*, *Telgū borealibus* & alibi sunt (β) Jus muniendi, murosquæ Civitatum & oppidorum fortificandi, (γ) Jus concedendi repressalias seu pignorationes, quas (Judice Besoldo) non ad eò rectè Clarigationes vocant. de Jure Repressaliarum vide Grot. de Jure belli & pacis lib. 3. c. 2. (δ) Jus Fœdera pangendi, quod nihil aliud est quam conventio publica inter eos, qui aut summam potestatem habent, aut ad minimum hoc Majestatis jus: quod dispescitur 1. in Æquale vel Inæquale: Illud utrinquè eodem modo se habet: quale est cum Reges conveniunt, ut auxilia præstentur paria militum, ad omne vel aliquod bellum. Hoc utrinquè eodem modo se non habet, quando u-

nus Rex majora auxilia quam alter pollicetur, 2. In Reale sive perpetuum, & Personale sive temporaneum: Illud non renovatur & semper manet: Hoc ad certum durat tempus, vel cum contrahentibus esse desinit. 3. In Offensivum & Defensivum. 4. In fœdus Commerciorum.

THE S. XV.

Quintum deniq; *Majestatis* Jus est, in legitimatione spuriorum illegitimè natorum, sive liberorum naturalium, quia secundum naturam, conjugium legitimum non attendentis, legem, uti bruta procreantur: aliàs indirectè quilibet illegitimè antea à se natum, vitiatam à se in uxorem ducendo, legitimare potest, *at non propriâ, sed legis auctoritate.* c. 2. Giff. B. R. & St. L. directè autem ejusmodi naturales liberi legitimantur per Rescriptum Principis solenne, ut à legitimis nihil differant, quamvis inhabiles æstimantur ad successiones feudorum, nisi specialiter & nominatim ad feuda legitimitio fiat. Huc referimus (α) Jus famæ restituendæ, undè macula famæ nominis iniusta, quasi nulla præcessisset inhonesta vita, adimitur & eluitur, (β) Veniam ætatis concedendi, quâ nondū legitimam implentibus ætatem, speciali indultu, sua administrare licet: talis venia concessa fuit ab ordinibus hujus regni, Anno 1611. Sub interregno, Gloriosissimæ Memorix Regi Gustavo Adolpho nato annos octodecim. Christiano IV. Regi Daniæ, Anno ætatis 17. hanc veniam concessit Rudolphus II. Imperator Rom. 26. Aprilis Anno 1593. Reinkingh de Reg. secul. lib. 1. D. Gyld. de Jur. Majest.

Tbes.

THE S. XVI.

Sequntur Jura *Majestatis* minora, quæ alias *Regalia* audiunt, commoda Fiscis præprimis spectantia: pecunia enim cum rerum gerendarum nervus sit, omnis proinde benè instituta Resp. certa quædam Fiscis Regalia acquirit, & quorum proventibus nervi illi necessarii procurantur. Competit proinde horum in respectu Jurium, primò *Majestati*, Tributa & vectigalia imponere: illi n. est Jus in omnia publica & privata, puta ratione protectionis & directionis, quâ potest ex salute reip. de iis disponere & subsidia sumtuum reip. causa faciendorum, petere & imponere: & si necessitas fert, tributa vetera augere, & nova introducere, quod tamen absquè optimatum & populû consensu facere non vult. c. 4. R. B. R. Tributa omnia illa vocare licet, quæ subditi ex suis bonis tam mobilibus quàm immobilibus collata pendunt solvuntq; consuetudine, legibusquè & decretis observatis. Exiguntur ejusmodi tributa, vel ratione terræ, sive agrorum, vinearum, aurifodinarum, vel ratione mercaturæ &c. quæ tributa subditi solvere tenentur, cum id requirat Dei mandatum, tum generale Matth. 22. 21. tum speciale, quod in debellatas gentes victoribus conceditur Deut. 20. 10. 11. Simul ac reip. necessitas: Ceu enim corpus totum, alimentis ventriculo denegatis, ad tabem redigitur: Ita tributis Magistratui præcis, impendet extrema reip. pernicies.

THE S. XVII.

Secundò *Majestati* competere dicimus Jus monetarium, quod consistit in re numaria & moneta cudenda: ad
C 2 quam

quam requiritur 1. *Causa efficiens*, nimirum *Majestas* mandans. 2. *Materia*, bonitas scilicet monetae intrinseca: estq; vel *aurea*, vel *argentea*, vel *area*: hæc enim metalla, cum ex constitutione gentium in magno habeantur pretio, commodissimam monetae materiam præbent. 3. *Forma* est signum publicum monetae impressum. 4. *Valor* est quantitas sc. intrinseca pecuniæ, cujus perpetua & publica æstimatio est, quâ difficultatibus permutationum subvenitur: Valor autem & forma à Majestate sunt. De Moneta & ejus valore vide decretum Norcop. Anno 1604. Majestatis quoq; est monetae mutatio, quæ tamen fieri non debet nisi (α) moneta sit falsa sive adulterina, nimiaq; alienam mixturam vitiatam (β) nisi æstimatio & valor materiam monetae superet; quod fieri potest: vel ex communi hominum usu, vel si ponderi monetae debito, aliquid detractum sit, vel eadem moneta circumcissione diminuta. *Qui autem monetam absque privilegio Majestatis cudit, sit reus criminis læsæ Majestatis*: In Gallia oleo fervente & aqua suffocatur talis; In Hispania suffocatur laqueo, in imperio Rom. flammarum exustionibus mancipatur.

THE S. XVIII.

Tertio *Majestas* sibi vindicat Jus Angariorum & parangariorum, quæ sunt equorum jumentorum, navium, plastrorum in itineribus Regionum ministrorum, armorum transvectione aliave necessitate exigendorum, præstationes. Svecicè *Stiukferd/ Stiukning/ Stiukreesfor*. c. 5. R. B. LL. Quæ sunt munera patrimonialia seu realia, nomen aliàs *Perficum* est: vide Herod. apud Persas erat

ἀγγα;

ἀγγαίων ὄρεγμα, cursus perniciosissimus. Et Suidas inquit: Angari fuerunt, Persarum Regii Nuncii, quorum subinde alii alii in itinere succedebant. Nunc autem hæc Angariæ ex Decreto Comitiali Anno 1649. certâ pecuniæ Summâ à subditis redimuntur, qui jam ab iisdem ordinariè sunt immunes. Huc referimus personales operas, Jus operis vel operæ, cum determinatas: *åhrlige dagzwerken* tum indeterminatas. Quas operas & labores etiam certâ conditione Sereniss. Reg. Majestas limitavit.

THE S. XIX.

Quarto competit *Majestati* Jus venandi, seu nobiliores capiendi feras. c. 23. *Bng. B. LL. & 34. R. B.* non lege naturæ, sed longa præscriptione in Reges derivatum: Jus item argentariæ, seu metalli fodinas, auri, argenti &c. occupandi & excolendi, quò inventionem thesauri referimus.

THE S. XX.

Deniquè quinto accensentur *Juri Majestatis*, viæ publicæ, quæ sunt Basilicæ, id est, quæ Regiæ sive Regales, Prætoricæ, Consulares vocantur: Illas & à latronibus quibus plerumq; tempore belli, sunt obnoxie, liberæ & immunes præstare Majestatis est. cap. 4. R. B. LL. art. 7. item 24, 25, 26, 27. R. B. LL. Ed; B. c. 13. LL. & c. 12. St. L. item Jus fluminibus publicis utendi, piscatione & navigatione & molendarum extructione: undè annui reditus expiscatione & fluminibus,

THE S.

THESES XXI.

SEXTO Jus puniendi & mulctandi, quod quamvis ad Justitiam administrationem spectat, fisco tamen mulctæ & bona immediatè inferuntur: undè fiscus subindè augetur. Hùc (a) mulctam referendam volumus ordinariè inter Regem, Actorem & universitatem sive territorii sive municipii sive alius communitatis, dividendam. (b) Mulctam Soli Regi assignandam Konungz een saaf. cap. 2. R. B. LL. Sic 40. marc. multandus est majori comitatu adiens Regem quam lex permittit. c. 23. R. B. LL. Eandem etiam mulctam pendet, plures fundos vestigales corradens, redditus Coronæ imminuendo c. 30. R. B. LL. item violans sententiam à Rege vel illius vicariis latam c. 32. eod. Tit. venationem in campis Regiis instituens cap. 34. eod. Tit. & si quis prohibita exercuerit mercimonia. Landz fop c. 6. Röp m B. LL. (γ) Mulctam cædis clandestinæ, vulga dråp 25. 26. & 27. dråp m B. med wilia / ubi mordgöld vocatur. (δ) Jus bona vacantia & caduca occupandi, cum moritur extraneus, qui hæredem, in cujus possessionem Jure quidem hæreditario, bona ejus descenderent, non habet: nobis Danaarf c. 23. Erfd B. LL. c. 18. St. L. eod. Tit. imo etiam ex parte cum indigena absquè hærede moritur c. 23. Erfd B. LL. c. 18. St. L. eod. Tit. & intra annum non comparentibus hæredibus, censenda est hæreditas caduca. (ε) Bona damnatorum & proscriptorum Coronæ debentur, quæ tamen in illustribus & nobilibus familiis proximo alicui agnato per peculiare privilegium & gratiam Ser. Majestatis cedunt. (ζ) Bona crimen læsæ Majestatis committentium, salvis tamen bonis uxorum, liberorum

rorum & familiarium, tam mobilibus quam immobilibus priv. Nob. p. 1. (η) Prædia inculta & deserta, res habitæ pro derelicto: animalia & bona, quorum Dominus ignoratur (θ) res item naufragæ, confiscationes & alii Jurisdictionis sublimioris fructus. (ι) Jus collationes extraordinarias, exigente Reip. necessitate, instituendi: utpote Jurationes, capitationes & accisas: aliaquè subsidia Majoribus ignota, fidelibus subditis promptè conferenda & pendenda.

THESES XXII.

SEPTIMO & ultimo urbes extruendi, easque privilegijs donandi, competit Majestati: jus arces, castra, & palatia ædificandi & inhabitandi, ex Bonis coronæ & Ubsalienfibus redditus appropriandi. c. 2. R. B. LL. Jus Solennes & universales nundinas instituendi, Stapulæ item seu emporij jus concedendi. jus mensuræ & ponderum, circa negotiationes & commercia ordinare. Serenissimæ est Majestatis. *Heic manum de tabula: Tuum est benevole Lector, hoc quidquid est, ingenij Specimen, ob dignitatem & excellentiam materiæ, æqui bonique consulere.*

*Gloria sit patri, sit nato gloria sancto,
Gloria spiritui triadi sit gloria sacra.*

QUE.

QUÆSTIONES:

1. An Jura Majestatis salvâ Majestate communi-
cari possint? Dist.
2. An potestas religionis æquè communicetur, ac
aliæ Majestatis particulæ? Aff.
3. An ministri Ecclesiæ civilem potestatem habe-
ant? Neg.
4. An. Ministri Ecclesiæ tributis subjecti sint? Aff.
5. An populus sibi constituens Regem, superior
sit ipso Rege? Neg.
6. An Reges Sveo-Gothiæ, Imperatori Rom. su-
am debeant Majestatem? Neg. *Contra Lin-*
benthalium, Keckermannum, Beccherum & Besold.
7. An summa potestas ad solam Monarchiam re-
stringatur? Neg.
8. An possit Majestas personalis subditos ad fi-
dem cogere? Neg.
9. Ergone Hæretici Capitali supplicio sunt affici-
endi? Dist.
10. An. 1. Sam. 8. v. 11. describatur Jus Tyranni-
cum, vel Regium? Dist.

ADDITAMENTUM.

Impio Regi est parendum,

Soli Deo Gloria.

Eruditione & morum elegantia conspicuo Juveni,
De JURIBUS MAJESTATIS pro gradu Magisterii
nervosè disputanti,

DN. PETRO H A H N /

Academiæ nostræ Vice-Bibliothecario maximè industrio,
Philosophiæ Candidato dignissimo, & amico suo
singulariter dilecto:

Quod Majestatis pertexere jura suprema
Audeat in presens culta Minerva tua,
Laudo conatus celebres, tantisque futura
Castalidum nisu, premia, spero brevi.
Uisus ut patriis, tua multa industria porro
Inservire queat, totus id opto. Vale!

Hæc pauca L. m^q: licet occupatissimus
scripsit

JOHANNES FLACHSENIUS
Mathem. Prof. Ord. & h. t. Acad.
RECTOR.

Ad Eruditione solidâ ac moribus egregiis politissimum,

DN. PETRUM H A H N / SMOLANDUM,
Philosophiæ Candidatum meritissimum,

Disputantem pro Gradu, ὁμοχῶρον & amicum per dilectum:

Regia jura docent Academica pulpita nostra:
Regia jura colunt qui pia Regna tenent
Propria dispensat vir justus, cuique relinquens
Plus, sua lædier ac lædere vult alios.
Hæc partim scripto monstras doctissime Petre,
Fers partim ad praxin, Galle canore, vale!

L. M^q.

ENEVALD. SVEN:
2. G. A. S. S. Th. Doctor.

*Materiam, raram, quam differis esse fatetur
Aoniis quisquis commadefactus aquæ.
Perge bonis avibus, Numen cæleste secundet
Cæpta! Vale longum! deniq; vive diu!*

Pereximio Dn. Candidato, amico suo honoratissimo, L. Mq. quamvis festinè gratulatus

SIMON Tälpo/

Def. Log. & Metaph. Prof. Publ.

MONSIEUR.

SI je me puisse bien servir de cette belle occasion, ou je me trouve maintenant, je m'estimerois en verité fort heureux, & je m'en donnerois aussy un agreable contentement, usques au temps, que le bon Dieu & la fortune donnassent des autres moyens, aussy profitables pour vous, que joyeux pour vos amys. Mais me souvenant bien, que mes foibles instrumens ne se peuvent pas accorder facilement avec vostre tres scavant discours de la Majeste & du Droit d' icelle; et puisque je suis assure que vostre presente dispute, en esgard de sa matiere, meritera la bonne faveur de chacun; j' aime mieux par mon silence recommander à tout le monde, sa reputation. Il me suffit pour cette fois, de vous dire ceque je pense de vostre louable dessein, voir, que je le prend pour une marque infailible, que vous aurez avec le temps non seulement un souhaitable progres en toutes vos entreprises, mais aussy un bon fin dans vos louables propos. Poursuivez donc a vivre en telle felicité. Vous ferez ainsi aimable de Dieu, & un grand ornement de nostre tres chere patrie. Ce que je vous souhaite de tout mon coeur, avec toutes sortes des prosperites. Vous assurant que je suis, Monsieur, autant qu' homme du monde

Vostre tresobligé

ANDRE Syllentroof le Jeune.